

Peter Hinckelmann Martinus Strichius

De Anabaptismo Disputatio Elenctica Quarta Complectens Sectae Anabaptisticae Errores refutatos in loco De Baptismo

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737663502>

Druck Freier  Zugang



*P. Kinkelmann.
R.M. theol. 1613.*

Collectio de anabaptismo, P. Hinkelmann, Fräses

- 1) W. Mallerii, De SS. scriptura 1613
- 2) D. Duncanus, De Deo Trinitate 1613
- 3) N. Waltherii, De Persona Christi 1613
- 4) M. Strubini, De baptismo 1613
- 5) J. Taimmanni, De coena domini 1613
- 6) A. Friderici, De peccato originali 1613
- 7) P. Blankenhagen, De ecclesia 1613
- 8) J. Mulleri, De ministris ecclesie 1613
- 9) J. Sperberii, De ministerio ecclesiastico 1613
- 10) E. Lolepiti, De justificatione 1613
- 11) V. Garmannii, De bonis operibus 1613
- 12) J. von Bülowii, De libertate christiana 1613
- 13) P. Schauringii, De magistratu politico 1613
- 14) J. von Dike, De iudicio 1613
- 15) P. Michael, De conjugio 1613
- 16) D. Westermi, De fine aucto 1613
- 17) G. Machau, De mercatura 1613
- 18) B. Smoldini, De resurrectione 1613

4

DE ANABAPTISMO
DISPUTATIO ELENCTICA
QUARTA

*Complectens Sectæ Anabaptisticæ Errores
refutatos in loco*

De

BAPTISMO.

Quam

Divina S.S. Spiritus assistente gratia

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

Verbi Divini Ministri.

Private cognitioni subijcit

MARTINVS STRICHIVS


Neobrandenburgensis.

4. Idus Febr. Hora & loco consuetis.



ROSTOCHII

Litteris Reusnerianis, Anno 1613.



DISPUTATIO ANTICATABAPTISTICA
IV.DE BAPTISMO.
CONTINUATIO.

Mirum non est, cum Christum ipsum Deum & Hominem absq[ue] conscientia aggredi non dubitarint Anabaptista, quod etiam ejus Sacramenta indignissimis tractent modis. Sic graviter impudentes esse oportet, qui semel verecundiae fines transgressi sunt. Nam sicuti in precedenti Disputatione, de Christo, contra omnem scripturam negarunt Christum verum Deum & verum Hominem esse; ita in hac de BAPTISMO, contra Christum ipsum, ejus verbum & Apostolos insurgentes, quibus in faciem contradicunt, negant Christum Pædobaptismi autorem esse, auctoritatemq[ue] omnem & efficaciam Baptismo exuunt, non solum semel baptizatos rebaptizando, unde Ἀναβάπτισται indigantur, sed etiam infantib[us] Baptismum plane negando. Quibus à mille fraudum structore diabolo subornati, nil quaerunt aliud, nisi ut nobis Baptismum, illud necessarium adminiculum, quod meritis Christi nobis applicat, despectum reddant & omnem salutis nostrae ἀνεροφελειαν ex corde eripiant. His contra sacrum Baptismi flumen navigantibus resistendo ^{Ἰεθρυεσθῶ} Dei verbum obvertemus, precipuosq[ue] eorum errores duobus hisce capitib[us] inclusos examini subiciemus.

I. De PÆDOBAPTISMO.

II. De EFFICACIA BAPTISMI.

CAPUT PRIMUM
De Pædobaptismo.

Error Primus.

Neq; mandatum, neq; exemplum in N. T. extat de baptizandis aut baptizatis infantibus.

REFUTATIO.

Insigne profectò fanatici & sacrilegi animi testimonium, imò publicum diploma, quo satis superq; omnibus etiam in Theologia tyronibus testatum faciunt, quid sentiant de Βαπτισμῶν ἑπιπέσει, nimirum nihil; ut qui de eo in scripturis ne Iota (quod dici solet) legerint. Ideoq; quicquid Orthodoxi statuunt, in contrarium sensum, ut placitum humanum (a) propriam opinionem (quasi vero Enthusiastarum more, ut ipsi faciunt, sibi nec nostrates delira fingerent phantasmata) quam nec cogitarit, nec mandarit unquam Christus, contumeliose & contumaciter ore impudico imperitis odiosum reddere conantur. Quam malitiam attraxerunt sibi à Calvinianis (b) qui mandatum Christi de Baptizandis hominibus ad solos electos pertinere contendunt.

1. Sed erroris hujus membra singula sub incudem revocaturi, demonstrabimus longè aliter S. S. Scripturam sentire de Pædobaptismo, hac præmissâ distinctione, quod quaedam ex scriptura fundamentis possint probari $\chi\alpha\rho\epsilon\gamma\iota\tau\eta\epsilon\lambda\epsilon\gamma\iota\sigma\iota\omega\varsigma$, quaedam $\sigma\upsilon\lambda\lambda\alpha\beta\iota\sigma\iota\omega\varsigma$. Infantes esse baptizandos priori modo, secundum totidem liceras & Syllabas licet non legamus; perspicuè tamen verbis manifestissimis, modo posteriori illud ipsum affirmatur, atq; ut a ulterius probatur.

2. Universali MANDATO CHRISTI, qui ex omni creatura, ex toto mundo, ex Judæis & Ethnicis sibi electurus ecclesiam, iussit Apostolos & eorum successores prædicare & baptizare omnes gentes (c). Deinde Ap. Petri mandantis unumquemq;

In Colloquio
Francken-
berg.

a) Menno
in Fundam. 5.

40. 50.
b) Aurelius
in exam.
Theolo. f. 80

c) Matt. 28.
29.

quemq; baptizari. Vult etiam Christus Ecclesiam suam lava-
cro aque in verbo mundare. Infantes vero, aequè sub ecclesia, sub
creaturis, sub gentibus comprehenduntur ac adulti, sunt n. non mi-
nus homines, infantes, quam adulti. Quare ex numero baptizan-
dorum extrudi nulla vi, nisi insigni sacrilegio possunt.

3. Speciali mandato. Ad quos promissio salutis aeternae (d)
pertinet: quos Christus perire non vult sed ad se adduci, & ingredi
in regnum caelorum, his vult offerri media ducentia ad januam cae-
lorum, hoc est, Baptizari, sine Baptismo enim nemo (e) potest in-
troire in regnum caelorum: Sed infantes, ὅτι ἐφ' ἡμῶν, quales ad Christum
ἡμεῖς ὅτι φερόμεν adferrebant, quales etiam Christus ἐπαγαγὼν αὐτοὺς, id
est, in ulnas excipiens, eis impositis manibus benedicebat. sunt illi,
de quibus loquitur Major, quos ingredi Christus vult in caelum:
Ideoq; illis negato Baptismo janua caeli praeccludenda non est.

4. Exemplis. Centurio Cornelius (f) jussu Petri, una cum
multis Caesariensibus, cum omnibus suis cognatis & amicis baptiza-
tur in nomine Christi. Lydia Purpuraria cum tota domo: Custos
Pauli carceris Philppensis & omnis ejus domus, Crispus multiq; Co-
rinthei baptizati sunt. Inter quos omnes, etiam infantes fuisse &
baptizatos, tam diu credimus, quam diu nobis Anabaptistae con-
trarium demonstrare non possunt.

5. Rationibus ex S. S. literis petitis. Priorem sumimus ex
loco similitum; ex Circumcisione, Sacramento V. T. in cu-
jus locum successit Baptismus (g) Sacramentum N. T. quo Aposto-
li Circumcisionem abolerunt, & Baptismum nominarunt circum-
cisionem sine manu factam. At Circumcisio in V. T. non erat libera
seu res adiaphora, nec protrahenda ad annum Discretionis, 12. 16.
20. ut Anabaptistae Baptismum, nec ad adultos tantum pertinebat,
sed Infantes 8. die post natiuitatem (h) circumcidebantur, tum
Vernaculi, tum Emtiry, cum hac comminatione, ut, qui pactum Dei
irritum fecerit, ejus anima de populo Dei deleatur. Ergo eadem
hac analogia Circumcisionis & Baptismi non erit ἀδιάφορον ἢ ἀνάσισμα
sed

Mar. 16. 8.

15. 16.

Luc. 18. 8. 16

Act. 2. 8. 38.

Eph. 5. 8. 26

Mar. 10. 14

d) Gen. 17. 7.

Act. 2. 8. 39

Mar. 18. 8.

14. c. 19. 13.

Mar. 10. 8.

14. 16.

e) Iohan. 3. 5

f) Act. 10.

8. 48.

Act. 16. 15.

33. c. 18. 8. 8.

g) 1. Pet. 3.

20.

Gal. 5. 8. 2.

Col. 2. 8. 11.

h) Gen. 17. 8.

10. 11. 12. 13.

14.

Act. 7. 8. 8.

sed necessarium, nec differendum, sed in infancia statim infantibus, sine ulla longa interjecta mora, communicandum.

i) Rom. 6. 3.
Gal 3. 8. 27.
Eph. 5. 6. 26.
Ioh. 1. 9. 29.
Act. 20. 28.
Esa. 53. 9. 6.
1. Iob. 2. 9. 2.
k) Psal. 51. 7.
Joh. 3. 9. 6.
Esa. 48. 8.
Iob. 14. 4.
Eph. 2. 3.

6. Posteriorem rationem ex loco Consequentium extruimus. Baptismus, ut medium ordinarium (i) applicans omnib. meritum Christi, conferendus est iis, qui Sanguine Christo sunt redempti, & qui propter peccatum lavacro aquae in verbo indigent. At non modo adulti sunt Sanguine Christi redempti, sed etiam infantes, non modo adulti sunt nati in peccatis & indigent lavacro aquae, sed etiam (k) infantes. E. Quid? quod si nullum testimonium producere possemus, Christum mandasse baptizare infantes, satis nos respondisse Anabaptistis putamus, si dicamus idipsum Christum non prohibuisse.

l) Lib. 4. de
Bapt. cont.
Donat c. 24

7. Orthodoxorum Patrum autoritate. Cyprianus n. restatur, quod sua aetate facta isti (Baptismo infantum) octava etiam dies, circumcisionis collata exemplo, fuerit constituta. Augustin. (l) inquit Baptismus parvulorum, quem universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper recentum esse, & non nisi auctoritate Apostolica traditum. Idem ibidem. Ex circumcisione carnis veritatem concipere possumus, quod valeat in parvulis Baptismi Sacramentum: Item Pædobaptismus necessarium esse & in primitiva ecclesia fuisse usitatum, testatur Chrysof. qui ante Augustinum vixit, inquitens (m): Ecclesia Catholica ubiq; diffusa prædicat, debere Parvulos baptizari propter originale peccatum: quia filios procreare ex præcepto Dei venit: cupiditas verò, quae facit filios procreare, ex pœna peccati venit: ideoq; ille clamabat sanctissimus, & bene clamabat, In iniquitatibus conceptus sum: quia sine cupiditate nullus homo concipitur.

m) De Adamo
& Eva
Hom.

Error Secundus.

Pædobaptismus non est à Deo institutus, sed à Nicolao Pontifice inventus, diabolicus est, eamq; ob causam Pueri rebaptizandi.

Anabapti-
sta Tigurini

REFU-

REFUTATIO.

Si errore quodam simplicitatis Catabaptiste seducti putarunt, Pædobaptismum originem traxisse ex Papatu à Nicolao vel Eugenio, propterea, quod ceremoniæ quædam ab illis tunc addita sint, ut cerium tempus in anno, festum nimirum Paschatos, quo rejciabatur, vix aut ne vix quidem essent tolerandi. Cum autem furore improbitatis mandatum & opus illud Dei diabolo tribuant, & propterea Baptismum iterandum blasphemio ore calamoq; eructando ebuccinent, nullo omnino modo sunt ferendi. Quom errorem de iterando Baptismo à Marcione habent ut ex Epiphanio patet (a). Nostrium itaq; erit confirmare Pædobaptismum Deum habere autorem atq; propterea minimè iterandum, quod fiet subsequentibus rationibus.

1. Quia ipse Baptismus, teste Christo, est (b) è cælo, hoc est immediatè à Deo institutus. Idem testatur maximus ille inter natos mulierum, se missum esse divinitus ut baptizaret aqua, nec propria aut temeraria autoritate (c) hoc munus cepisse, sed autoritate, & mandato Dei, unde & consilium Dei vocatur ab Evangelista: At Pædobaptismus est Baptismus. E. est è cælo.

2. Imò & ipse Christus, Baptismum non tantum, sed etiam Pædobaptismum instituit, jubens Apostolos baptizare omnes (d) salvandos, aded, ut, qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, introire non possit in regnum cælorum. Atqui non tantum adulti sed etiam infantes salvandi sunt, quod satis probavimus. Errore 1. eb. 3. E. jussit etiam infantes baptizare.

3. Si verò non à Deo, sed ut Adversarii volunt, à Pontificibus inventus atq; sic diabolicus esset Pædobaptismus, tùm sequeretur nos non renasci ex aqua (e) & Spiritu: Christum ecclesiam suam non mundare lavacro aqua Baptismi: Christum per lavacrum aqua non facere nos salvos & heredes vitæ æternæ; Spiritum S. de adoptione, filiatione atq; hereditate nostra non animos nostros certos reddere. Quid enim Christo cum Belial? quid lucicum te-

nebris?

Ius Canon-
nicum de
consecr. dif.

4.

a) Tom. 1.
lib. 1. Hære-
ti. 42.

b) Matt. 21.
v. 25.
Mar. 11. v. 31
Luc. 20. v. 4
c) Ioh. 1. v. 33
Luc. 3. 2. 6
7. 29.

d) Mar. 16.
v. 15. 16.
Ioh. 3. v. 3. 5.

e) Ioh. 3. v. 5
Eph. 5. v. 26
Tit. 3. v. 5.
Rom. 8. 15.
1. Cor. 6. 14.
15.

f) Gal. 3. 27.
Rom. 6. v. 3.
Act. 2. v. 38.
Act. 22. v. 16
Tit. 3. v. 7.

g) Luc. 3. 21
1. Cor. 1. 16.

h) 1. Cor. 11.
v. 23.

i) Eph. 4. 5.

k) Rom. 3. 3.
Esa. 54. v. 10

nebris? Sed hæc omnia verè sunt, omnes enim adulti & infantes, quot quot baptizati sunt (f) Christum induerunt, in mortem Christi, & in nomine ejus sunt baptizati & hæredes vitæ æternæ constituuntur. Ergo à Deo Baptismus sic necesse est.

4. Quomodo enim Pædobaptismus à Nicolao (Pontifice dici potest) inventus & non esse à Deo, cum Johannes Baptista omnem populum, (g), & Paulus totam Stephanæ domum baptizasse legantur. Nam fieri non potest, quod inter omnem illum populum, quem Johannes baptizavit, & in familia domus Stephanæ, & ubi plures integræ domus ab Apostolis baptizatae sunt, ut videre est in Actis, nulli infantes fuerint. Quod nos asserere nullo modo possumus, nec illi in æternum demonstrabunt. Si itaq; Apostolorum tempore usitatus fuit Pædobaptismus, sequitur Nicolaum vel quemcunq; alium Pontificem ejus autorem non esse, sed Deum, Nam Paulus qui Corinthi domum Stephanæ baptizavit, inquit, se à Domino accepisse, quod Corinthiis tradiderit (h).

5. Probavimus hætenus Pædobaptismum esse à Deo institutum, non à Pontifice inventum, nec esse diabolicum, Ideoq; jam suapte sponte concidit; quod Baptismus iterandum censent. Neque enim Anabaptista nobis ullum mandatum juris, neq; facti, siquidem nusquam repetitum legimus, producere possunt. 2. Sed contra Baptisma (i) unum esse S. S. testatur. 3. Et Apostoli Baptismum Circumcisioni conferentes, indicare volunt, ut semel circumcisum esse satisfuerit, sic etiam semel baptizatum sufficere. 4. Aliàs fidem Dei incredulitas hominum (k) evacuaret. Nec enim Baptismi repetitio sine nominis divini violatione ac veræ invocationis Dei antea facta improbatione fieri posset. 6. Ut itaq; semel nascimur in hanc vitam temporalem, ita semel renascimur ad vitam æternam. 7. Hinc Baptismus dicitur Sacramentum Initiationis, quod iterari non possit nec debeat, alias non esset Sacramentum Initiationis, unius enim rei unum est initium.

6. Tandem huic nostræ de Pædobaptismo orthodoxæ sententia an-

*tie annumeramus Patrum consensum, qui, quod ab Apostolis in Ec-
 clesia relictum invenerunt, tenuerunt. Inter quos producimus Ori-
 genem, qui videtur circa annum Christi 190. is palam testatur (o).
 Padobaptismum Apostolorum tempore in usu fuisse, dum inquit:
 Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam PARVULIS
 baptismum dare, sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta
 commissa sunt divinatorum, quia essent in omnibus genuinae sordes
 peccati, quae per aquam & Spiritum ablui deberent. De non ite-
 rando Baptismo ex multis Augustinum allegamus, qui (p) inquit:
 Sanitas amissa labefacta est, non nova generatione, sed usu medi-
 camentorum restituitur; ita regeneratio non nisi una relinquitur.
 ejus jactura non regeneratione nova sive altera compensatur, sed
 saluari poenitentiae medicina restituitur. Idem. Iam natus sum de
 Adamo, non potest me iterum generare Adam. Iam natus sum
 de Christo, non me potest iterum generare Christus, quomodo uterus
 non potest repeti; Sic nec Baptismus.*

o) Lib. 5. su-
per Epist. ad
Rom.

p) In Iohan-
nem tractat
2. & 11.

Error Tertius.

Infantes in sanguine Christi sunt baptizati absq;
 lavacro aquae, & in eo sanguine salvantur.

Anabap-
Antuwerp.

REFUTATIO.

Nil aliud volunt Anabaptistae, quam quod infantes sint filij
 Dei, & in gratia Dei, habeantq; regnum caelorum, eisq; propter
 Christum peccata non imputentur, sed salventur absq; Baptismo.
 Atq; ita jugum cum Calvinianis trahunt, qui gratiam & salutem
 (a) non à Baptismo pendere, nec Baptismum ad salutem necessari-
 um, neq; ablutionem peccatorum aquae Baptismi affigendam esse
 dicunt.

a) Ulsin. in
comp. The-
ol. f. 528.
Keck, lib. 1.
Syst. Log.
c. 12. pa. 117.

1. Nos in refutatione hujus erroris, cum is satis solide refu-
 tatus à Domino Praeside nostro (e) legatur, breviores erimus, nihil-

e) Disp. 7.
Antical. c. 2.
Er. 1. & 3.

B

lomi.

lominus tamen memores dicti Clementis : edē dē rē pē q̄nē , p̄i-
ma in acie ponemus testimonia , quæ probant , nullam sanctita-
tem obtinere infantes à parentibus. Vnde sic colligo : qui nascitur
in peccatis, opus habet regeneratione. At omnes homines nascuntur
(d) in peccatis. E.

d) Iob, 3, 5.
Eph, 2, 3.
Iob, 14, 4.
Psal, 7, 7
Psal, 58, 4.

2. Quod vero infantes omnes dicunt Sanguine Christi bapti-
zari absq̄ lavacro aquæ & in eo Sanguine salvari, id universaliter
verum non est, sed tantum ad eos infantes, qui morte immatura
præventi hoc lavacro tingi non potuerunt, referitur, ac consolatio-
nis certissimæ loco mastrissimis parentibus à Ministris Ecclesiæ no-
stræ proponi solet. Alias vero extra hunc casum privationis & non
contemptus; etsi infantibus nondum baptizatis, Christus, qui (e)
sustulit peccata mundi & iniquitates nostras portavit;
promeritus est justitiam & salutem æternam, non tamen eadem
eis applicatur & confertur, absq̄ lavacro aquæ, id est, absq̄ ordi-
naria illa causa instrumentali, πεινι, γενεα, quæ nobis applicat (f) me-
ritum Christi, peccatorum remissionem donat, nos à peccatis munda-
dat & salvat. Sequitur igitur, quod infantes absq̄ lavacro a-
quæ Sanguine Christi non salventur.

e) Esa, 53, 4, 5
Ioh, 1, 29.

f) Tit, 3, 5,
Ioh, 3, 5,
Act, 2, 28,
Eph, 5, 26,
Ezech, 36, 25
1. Pet, 3, 21,

3. Absurditates etiam non paucas nec leves, quibus hic sca-
ret error, in apricum producemus. Si infantes sanguine Christi
absq̄ lavacro aquæ salvantur, etiam adulti eodem modo salvantur,
nec opus est Baptismo, Christus enim totius mundi tollit pecca-
ta. Atq̄ hac ratione tollitur peccatum originis contra S. S. Scrip-
turæ (g) assertionem: destruitur necessitas Baptismi, contra ipsius
Filii Dei juramentum: astruitur sanctus qui ex carne natus est
contra ipsius VERITATIS effatum: affirmatur justus, cui pecca-
ta non sunt remissa, mundus, qui non est lotus, contra D. Pauli
pronunciatum asseritur quod sit Christianus qui carnaliter est ge-
neratus, non qui spiritualiter est regeneratus contra D. Augustin.
(h) contrarium affirmantem: Salvatur omnis, qui vel ex Turcis,
Ethnicis, Iudæis fuerit natus, contra Christum contrarium docen-
tem,

g) Gen, 6, 5
e. 8, 12,
Iob, 14, 4,
Psal, 51, 7,
Eph, 2, 3,
Ioh, 3, 5,
Eph, 5, 26,

h) Serm. 14,
de verb. A-
post,

4. Cum

4. Cum Orthodoxis Patrib. nostræ sententiæ asipulantib. jam
 finemus. D. Ambrosius nobiscum sic (i) loquitur, non fas est cre-
 dere, eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum ad ul-
 lum beatorum pertinere consortium. Basilius (k) Christiani unde
 nos? utiq; per fidem: Servamur autem, quomodo? nimirum rege-
 nerati per gratiam, qua conferetur in Baptismo. Augustinus (l) Ne-
 mo inirat in Ecclesiam, nisi per Sacramentum remissionis peccato-
 rum. Idem: Constitue (m) quemlibet parvulum, si cum Christo est,
 ut quid baptizatur? Si a. quod habet veritas, ideo baptizatur,
 ut sic cum Christo, profectò non baptizatus non est cum Christo.

i) lib. 2. de
 Vocat.
 Gen. c. 28
 k) De Spiri-
 tu S. c. 10
 l) Lib. 11
 con. Faust.
 c. 16.
 m) Lib. 1. de
 pec. mer. &
 rem. c. 23.

Error Quartus.

Omnes Baptizandi prius sunt docendi, postea bap-
 ptizandi,

In Col. Frä-
 ken,

REFUTATIO.

Hoc errore contra Christum Contrabaptista excipere & asseve-
 rare conantur, Christum generali suo mandato non indiscrimina-
 tim loqui de omnibus & singulis hominibus, sed saltem de iis, qui ra-
 tionis compotes & doctrinæ Christianæ capaces ingenio Christia-
 nismi capita complecti possunt. Quemadmodum & Cinglius absq;
 pudore Christum in suis verbis reformaturus, atq; Spiritui S. facili-
 orem regenerandi modum prescripserit, aperte (a) docet: MELI-
 VS, MELIUS esse, ut infantes primùm baptizentur, cum adulti fi-
 unt, & pueri doceantur primùm, ac ita demum baptizentur.

a) in lib,
 suo de Bap.

1. Quod ut obtineant Adversarii ordinem verborum (b)
 flagitant, vel flagellant potius, sed irritus eorum conatus nihil con-
 tra nos, nec quicquam pro ipsismet facit. Mandatum sic habet:
 πορευθέντες μαθητεύσατε παντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς. Euntes docete
 omnes gentes, baptizantes eos. Vbi hic dicit Christus, prius do-
 cere, postea baptizate & μαθητεύσατε discipulos facere denotat, quod

b) Mat. 28, 19

c) 1h 4.6

qua ratione fieri possit, servator ipse per partes exponit, videlicet baptizando, & docendo servare omnia quae praeceperat expressis verbis baptismo doctrinam postponens. Et si doctrinam expressis praeponisset Christus, quemadmodum verbum *μαδρῆωτε* per doctorem redditum est, non tamen sequitur quod primo loco ponitur, necesse est, ut precedat & primum fiat, e. g. Unum baptisma unus Deus, inquit (c) Apostolus. E. baptismus prior est Deo? Christus judicaturus est vivos & mortuos. E. prius vivos judicabit, postea mortuos? Non tamen omnino hunc ordinem negamus, cum n. adulti baptizandi sunt, tunc illud *μαδρῆωτε* docere prius, postea illud *βαπτίζεν* locum habet.

d) Gen. 17, 12
Deut. 6, 20
Gen. 17, 7

2. Quando verò infantes baptizandi sunt, doctrina precedere non debet nec potest. Nam ut in V. T. infantes primum circumcidebantur (d) postea docebantur, adulti primum docebantur, postea circumcidebantur, Idem in N. T. de Baptismo sentiendum est, ex analogia, quam cum Circumcisione, in cuius locum successit, habet. Quamvis autem Christus non certum tempus conferendi baptismum praescripsit, ut, in V. T. de Circumcisione est factum, tamen neque praescripsit, quod differri debeat, ad annos discretionis.

e) Ioh. 3, 5, 6
Matt. 28, 19
Eph. 5, 25, 26
Mar. 10, 14
Matt. 18, 14
Ioh. 3, 5
Mar. 10, 14

3. Sed in infanzia statim baptizandi sunt; flagitat enim illud necessitas, cujus rationes sat multae cumulari possunt. 1. Quia si non magis Baptismus, tamen aequè ac doctrina, infantibus necessarius est. 2. Quia tam infantes quam adulti (e) indigent Baptismo. 3. Quia Baptismus non minus pro infantibus, quam pro adultis est institutus. 4. Quia quos lex ex baptizandorum numero non excludit, à nobis non possunt excludi, at infantes non excludit. 5. Quia Christus diligit ecclesiam & vult lavare eam lavacro aquae, at infantes pertinent ad ecclesiam. 6. Quia tantum infantibus praestandum, quantum ipsis pro aetate competit, at competit ipsis regeneratio. 7. Quia quos vult salvare Christus, iis Baptismus est conferendus; At infantes vult salvare Christus. Ergo.

a. Quod

4. Quod si ex lege Talionis cum crudelissimis infanticidis Anabaptistis, qui ita sine Baptismo infantes mori sinunt, quod in æternum defendere non possunt, agere liceret, argumentaremur ex textu contra ipsos, ita concludendo: Christus non jubet baptizare adultos. E. Adulti Anabapt. non sunt baptizandi.

5. Si verò vitam eorum *νεαξιν* respiciamus, nos cum ipsis ita absurdè concludere oportebit: Christus non iussit prius adultos docere, sed baptizare primum. E. adulti primum sunt baptizandi, postea docendi. Ipsi enim hunc inversum observant ordinem, nam recusant unicuique sua aperire mysteria, nisi prius ab ipsis fuerit baptizatus. Videatur jam doctrina eorum Adultum nolunt docere nisi prius ab ipsis baptizetur, infantem nolunt baptizare, nisi prius ab ipsis instructus sit. Absurda hæc Theologia.

6. Cum igitur tenerrima infantia erudiri ac instrui in doctrina cœlesti statim à natiuitate non possit, ne absq̃ regeneratione moriatur infans, post præmissum necessariū illud Initiationis Sacramentum, exequimur, id, quam primum fieri potest, 2. 3. 4. anno ut elementa pietatis addiscant. Et hunc fuisse etiam in primitiva ecclesia morem videmus ex Augustino, qui (f) inquit: Cyprianus ecclesie fidem firmissimè servans ad corrigendum eos, qui putarunt ante octavum diem natiuitatis non esse parvulum baptizandum, non carnem, sed animam, dixit, esse perdendam, & modo natum ritè baptizari posse cum suis quibusdam cœpiscopis censuit. Et monet nos Gregorius, ne Baptismi protrahamus tempus, inquit: Si tibi infans est, non surripiat malitia tempus, ex puericia sanctificetur, ex unguibus Spiritui S. consecretur. Sic etiam Ambrosius: non ignotum est, quantum in cordib. fidelium adduceret socordiam si in baptizandis parvulis nihil periculi esset timendum, de cuius malignitate & parvulorum morte, si accidere non posset, ut Baptismo defrauderentur.

f) De origine animæ cap. 20.

Orat. 3. in Sanct. lavac. Lib. 2. de vocat gent.

In Colloq.
Franck.
Menno in
Fund.

Error Quintus.

Non possumus dicere pueros habere fidem, quia doceri non possunt.

REFUTATIO.

O socordes corde & exigua præditi fiducia! qui non infinitæ sapientiæ & potentie Dei Spiritus S. confidunt, quod fidem possit operari in hominibus, etiam absq; illo ordinario medio auditus verbi Dei, quasi absolute tantum penderet à verbo fides. Qui error originem habet, à Pontificiis, & Calvinianis infantib. fidem utriusq; negantibus, & nugantibus. (a) infantes in parentum & Ecclesiæ non in propriam baptizari fidem: Hisce verò (b) infantes tñ dicitur fidem habere disputantibus, videlicet talem, qualem aliquando ex auditu verbi sibi acquirere possint, id est, nullam (c). Quibus ad versariis nostris ita ex sacris, fidem infantibus attribuendo, occurrimus.

a) Catech.
Rom. 8, 164.
Compend,
theol. verit.
l. 6, c. 9,
In Colloq,
Momp, f.

49 l. 495
b) Oecolam
in Ioh. lib.
25, c. 5.

c) Colloq,
Momp, f.
491.

d) Rom, 4, 11
Matt, 13, 8,
14.

1. Ioh, 2, 14.
Mar, 10, 14.
Heb, 11, 6.
Matt, 13, 6.
Rom, 4, 11,
1, Pet, 3, 21,

e) Luc, 1, 41.

f) Rom, 10,
9, 10;

1. Infantes circumcisionem signaculum iustitiæ Fidei accipere (d) possunt: salvantur: cognoscunt Patrem: eorum est regnum caelorum: E. habent fidem, sine qua impossibile est Deo placere. Quod si ita non esset, Christus non dixisset, infantes credere, nec idem Paulus affirmasset, nec Petrus eos etægetiua stipulationem bonæ conscientie habere dixisset. Eam autem fidem, quamvis non ante Baptismum, in Baptismo tamen verè consequuntur operatione S. S. & licet non statim in actum erumpat, ut in Iohanne Baptista, qui in utero materno (e) delitescens fidei testimonium præsentæ Messia exultatione exhibuit, nihilominus tamen adeest & Deo cognita est, nec refert quod nobis, ut etiam plura in infantibus, non est cognita.

2. Atq; hoc ipsum nemini adeo inconuenient videri debet Deum posse ac velle operari fidem in infantibus. Quia habent corde quibus creditur ad iusticiam (f) in quibus Deus pro misericordia sua, que in infirmis est efficax, operatur, sicuti in Iohan. Bap. Nec Deus ubi venerandum nomen totius S. S. Trinitatis, Dei æterni Patris, Dei

Dei

Dei aeterni Filii, Dei aeterni Spiritus S. invocatur otiosus aut inefficax esse vult.

Matt. 23, 20

3. Absurda potius concludimus ex eorum mente. Infantes dicunt, non possunt credere. E. non debent doceri. Si non debent doceri, non debent etiam baptizari. E. plane negligendi. Item: Infantes Sanguine Christi salvantur, sed non habent fidem, E. sine fide salvantur. Si vero aliena fide salvantur, quorsum igitur illud: justus sua fide (g) vivet? cur etiam non aliena ratione ratiocinantur? Quare igitur ἀδύνατον ἐστὶ ἐναγεσθῆναι χωρὶς πίστεως? Quare ipsi Anabaptista revelationes expectant: E. neq. docendi neq. baptizandi. Negant infantibus intellectum & rationem. E. negant esse homines. Et si ex eorum mente, rationis usus quicquam ad fidem concipiendam facit, falsum erit (h) illud Apostoli: πᾶν φρόνημα σαρκὸς ἐχθρὸν ἐστὶν τοῦ θεοῦ. Si fides piorum parentum liberis ad salutem proderit, nullus ab impiis prognatus salvabitur, sic quoq. falsum erit illud Iehovæ filius non portabit iniquitatem patris. Imò si fidem non habent, quomodo sunt sancti?

g) Hab. 2, 4

h) Rom. 8, 7
1. Cor. 2, 14
Ezec. 18, 20

4. Sic itaq. retorso hoc errore per Anabaptistarum jugulum, ad majorem refutationem, Patrum testimonii opus minime arbitramur: attamen uno atq. altero, ex abundantanti, adducto, sufficiat. Basilius (i) fidem infantibus tribuens, licet doceri non possint, sic de Pædobaptismo inquit: Per fidem sumus Christiani, & regeneramur in Baptismo, servamur per gratiam quæ confertur nobis in Baptismo. Neq. est quod existimemus, infantes habere fidem alienam, sed propriam habent, ut Augustin. testatur, inquit: Donum cæleste non consequitur, qui se per aquam, non per fidem immutari credit. Aqua enim cernitur: Sed qui non videtur Spiritus, operatur ut fides in Eo sit.

i) De Spiritu S. cap. 10

Quest. 8.
N. T. part. 2

CAPUT SECUNDUM.

De Efficacia Baptismi.

Error.

Error Primus.

Infantes baptizantur Iohannis Baptismo, Ergo re-
baptizandi sunt.

REFUTATIO.

Quid de ministerio & officio publico baptizandi maximi illius
Prophetæ Iohannis B. Anabaptistæ sentiant, satis prodit Menno
in hoc errore, dum nostros infantes Iohannis, non Christi Baptismo
baptizatos inquit, ideoq; rebaptizandos esse. Nimirum cum qui-
busdam Calvinianis (a) & Pontificiis (b) Iohannis Baptismum ve-
rum Baptismum non esse insaniunt, sed differre à Christi Baptismo
ipsa forma & sine.

a) Aerius
in Ioh. c. 1.
b) Thom.
diff. 2 q. 2.
Maldonat.
sup. c. 3 Luc
c) Disp. 17.
Er. 5. c. 15
d) Luc. 3. 16
e) Act. 19. 4.

1. Quod paucis contrarium demonstrando negabimus, cum id
pluribus à Domino Præsede factum sit, in suo AntiCalvinismo. (c)
Differentiam quandam libenter concedimus, inter Baptismum Ioh-
annis & nostrum, seu Christi 1. ratione ministerii (d): Iohannes tan-
sum aquam aspergebat, Christus autem aquæ virtutem & efficaci-
am largiebatur: 2. ratione temporis (e). Iohannes baptizabat in
Christum venturum, moriturum & resurrecturum: nos baptiza-
mus in Christum exhibitum, mortuum & resuscitatum.

f) Mar. 1, 4
Matt. 21, 25
Luc. 3, 4
Act. 13, 24
e. 19, 4
Matt. 3, 16
17,
Eph. 4, 6.

2. Verum ratione substantiæ & efficaciæ, inter Baptismum
Iohannis & nostrum nullum omnino discrimen, sed unum eundemq;
esse constanter probando affirmamus. 1. Quia Iohannes divinitus ad
hoc Sacramentum esse missus. 2. Quia per ejus Baptismum remissio
peccatorum (f) applicabatur, 3. Quia fides in Christum per eum con-
ferebatur. 4. Habet testimonium totius Trinitatis. 5. Quia Christus
nullo alio baptismo fuit baptizatus. 6. Quia ipse Christi personâ
satis esse consecratus, atq; eius auctoritate & testimonio approbatus
7. Quia nec Christus, nec Apostoli rebaptizasse à Iohanne bap-
tizatos leguntur: 8. Quia unus Dominus, una fides. Unum bap-
tisma.

3. Horrenda præterea, quæ hic error parit, monstra impro-
bando rejicimus. Si Baptismus Iohannis non idem esset cum nostro:
nil a.

nil aliud fuisset, quam ineptum spectaculum, nec Apostoli ritè baptizati fuissent, baptizati enim sunt Johannis Baptismo: Imò nec Christus ipse verum accepisset Baptismum, aut alio Baptismo, quem nos cum ipso communem non haberemus, fuisset baptizatus, aut in Christi persona Baptismus noster non erit consecratus. Atq; hoc modo Christus ipse cum suis Discipulis, & Apostolis & omnib. jam beatis esse rebaptizatus aut erit rebaptizandus. Sed nullum horum dici potest. E. Sequitur quod Baptismus Johannis sic verus atq; cum nostro unus idemq; Baptismus-

4 Atq; ita satis eviànter demonstravimus, nihil differre Johannis Baptismum à nostro, sed convenire, in Substantia, Effectu, & Fine, ut qui constabat verbo & aqua, remissionem peccatorum & vitæ novitatem afferebat. Suapte igitur sponte corrui Erroris sequela: Ergo rebaptizandi sunt: tum propter hanc rationem tum etiam propter alias, quas supra (l) posuimus.

Error Secundus.

Baptismus non est signum gratiæ, pacis, remissionis peccatorum, bonæ conscientiæ, sed tantum obedientiæ à Christo mandatæ.

REFUTATIO.

Efficaciam Anabaptistæ dum Baptismo detrabere allaborant, nil nisi nudam aquam nobis relinquere satagunt, quam dicunt imbecille elementum esse, nil conferre, nec Christianos efficere posse, nihilq; aliud esse Baptismum, quam obedientiæ Christi signum. Quo errore sua Enthusiastica & Sydenckfeldica deliria introducunt, somniantes; Deum per corporalia media nobiscum non agere: simulque Calvinistarum intrudunt vesaniam negantium (a) Sacramenta vim justificandi & salvandi habere.

1. Nos omnia, quæ Anab. in errore negant, ex sacris affirmamus, certo credentes, quod tota sacrosancta Trinitas Deus P. F. & S. S. in Baptismo & per Baptismum operetur. Pater (b) salvat: Filius mundat, Spiritus S. regenerat per lavacrum aquæ in verbo.

l) Cap. 1.
Err, 2, th, 7.

Menno in
Fundam.

a) Calvin de
fen. 2, Sacr.
f, 1082.

Gryna us in
in sua diss,
Heidel, ha-
bita.

Beza, Col,
Mom f, 434

b) Tit, 3, 5
Eph, 5, 26
Ioh, 3, 5

C

2. Gra-

e) Tit. 3. 3
c. 2, 11, 14.
Eph. 5, 2. 6
Iob. 1, 17
1. Cor. 1. 4
Eph. 2, 8. 6, 2
6, 11,

2. Gratiam, quod negant, *Carabaptista* confert *Baptismus* dum incredulis nobis & errantibus, in malitia (c) & invidia agentibus, Gratia Servatoris nostri, qua apparuit omnibus hominibus, mundans sibi populum acceptibilem gratiofo lavacro aqua ex cuius plenitudine accepimus Gratiam pro Gratia, nobis inquam, Gratiam Dei largitus est, & per eam nos salvat, nos, qui antea dicebamur praputium propter circumcisionem, qua fiebat in carne.

d) Eph. 2, 13
14, 15
Rom. 6, 2, 3
4,
Eph. 6, 11
Rom. 5, 5

3. Pacem adfert nobis, qui aliquando longe eramus facti, jam sumus prope in Sanguine Christi, ipse enim est Pax nostra, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem (d) faciens Pacem. Qui novus homo mortuus est peccato, & in Christo baptizatus, & cum Christo ex mortuis resurgens & in novitate vitae ambulare debet. Atq; ita justificati & abluti in nomine Dei Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri, ex fide Pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum I.C.

e) Mich. 7,
19
Apoc. 1, 5
A. H. 22, 16

4. Remissionem peccatorum nobis applicat, dum Christus mundavit iniquitates nostras, & projecit (e) in profundum maris omnia peccata nostra, & dilexit atq; lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo. Hinc Ananias Paulum alloquitur: Exurge baptizare & abluere peccata tua invocato nomine Jesu.

f) 1. Pet. 3, 21

5. Bonam gignit conscientiam. Nam sicut diluvii tempore octo animae in arca servatae sunt per aquam; sic vos, nunc salvos facit Baptismus, inquit Petrus (f), qui figura illi respondet, qui non est depositio sordium, sed conscientia bonae stipulatio erga Deum per resurrectionem I.C. à mortuis.

g) Mar. 16,
14
Iob. 3, 3
Tit. 3, 5
1. Pet. 1, 23

6. Quibus Scripturae dictis hac argumenta ex eadem deducta adyctimus. 1. Infantium est (g) regnum caelorum: renascantur igitur necesse est. Quod sic vel per Baptismum, vel per auditum verbi. Verum non per hunc, quod ipsi Anabaptista testantur. Et per Baptismum. Et per Conseq. confert regnum caelorum, nec nudum tantum signum est obedientiae Christi. 2. Si naturam filii irae nascimur,

mur, (b) per Baptismum filii gratiæ regeneramur. At prius est.
E. Pluradesumi possunt ex dictis th. 1. Er. 1. cap. 1. notatis.

7. Astipulantur nobis testimonia Doctorum primitiva Ec-
clesiæ. Cyril. (i) Catechumenus debet baptizari, ut verum lumen a-
gnoscat, & peccatorum omnium remissionem accipiat. Basil. Serua-
mur regenerati per gratiam, quæ confertur in Baptismo. Ambros.
In Baptismo utiq; peccatorum omnium est remissio. Augustini,
Nemo intrat in Ecclesiam nisi per Sacramentum remissionis pecca-
torum.

Error Tertius.

Qui remissionem peccatorum quærit per Bapti-
smum, aspernatur Sanguinem Christi, & ex aqua facit
idolum.

REFUTATIO.

Obstinatam malitiam si unquam Anabaptistas contra Orthodo-
xos expuere non puduit, hic profecto non pudet, dum aut ruditate
aut Spiritu vertiginis male perciti, veritatem, quam satis superq;
ex nostra Baptismi Definitione in Minori Catechismo, ubi non aqua
tantum tribuitur vis illa remittendi peccata, sua luce splendescere
vident, nefarie videre nolunt. Sed potius cum Calvinianis sese
mutuum scabentes mutuas contra nos eradere operas volunt. Eadem
v. qua hic profert Menno protulit etiam Beza (a) vanam nimirum
esse idololatriam, quæ remittendorum peccatorum & renovandi
cordis hominis vis, ad aquam quantumvis Sacramentalem trans-
fertur. Videbimus ergo an nos ex aqua idolum faciamus.

1. Sententia nostra est: non ipsius aquæ Substantiæ sed vir-
tuti Spiritus S. quæ per verbum conjuncta est cum aqua, vim il-
lam regenerandi attribuendam esse. Christus enim ipse hujus Sacra-
menti autor, non simpliciter aquam, sed aquam verbo Dei sive Spi-
ritu S. comprehensam connectit: aquam cum Spiritu in Disputa-
tione (b) de Regeneratione hominis: aquam cum Verbo Paulus, i-
demq; aquam cum Spiritu copulat. Cui aqua juxta verba Institutio-
nis &

b) Eph. 2, 25.

i) Lib. 6. ca.
14. in Joh.
Lib. de Spi-
ritu S. c. 10.
Lib. de pan.
cap. 7.
Lib. 11. Con-
Fau. c. 16.

Menno in
Fundam.

a) Coll. Mē-
pel. f. 433.

b) Joh. 3, 5
Eph. 1, 26.
Tit. 3, 5.

nis & Promissionis, non ut elemento terreno, quale ratione substantiæ est, sed ut aqua Sacramentali, qualis est ratione ^{ἐνεργείας} Spiritus S. quem nunquam ab hac aqua sequestramus, divinam hanc virtutem ascribimus.

e) Tit. 3. 5.
Eph. 5. 26.
Iob. 3. 5.
Rom. 6. 3.
Tit. 3. 7.

2. Quod ut faceremus, post ea, quæ jam posuimus, rationes ex ipso S. Scripturæ fonte desumptæ nos perpellunt. Nam 1. Deus Pater (e) per lavacrum aquæ in verbo propter Filium Mediatorem applicatione & oblatione promissionis gratia nos salvat. 2. Filius, ipse nos sanctificat & mundat. 3. Spiritus S. nos regenerat. 4. Propter Christi mortem & resurrectionem, in quem baptizamus, justificamur. 5. Propter gratiam Christi heredes sumus vitæ æternæ. Ergo (dum hoc fatemur) virtutem salvandi, Sanctificandi, mundandi, regenerandi, justificandi non in substantia elementalis aquæ positam querimus, & nunquam ex aqua idolum facimus.

f) Beza Coll
f. 448.

g) Matt. 28.
19. 20.
Tit. 3. 5.
Iob. 1. 12, 13.
1. Job. 1. 7.

3. Nec Sanguinem Christi aspernamur, dum remissionem peccatorum aquæ ratione τῆς δυνάμεως τοῦ ὕδατος, quam per Verbum Dei instituentis hoc Sacramentum, habet, tribuimus, quamvis cum Calvinianis (f) sanguinem Christi essentialem Baptismi partem non constituamus, nec in sacris jubeamur constituere: attamen non excludimus Sanguinem Christi à Baptismo, nec ratione Substantiæ, adest n. tota S. S. Trinitas & ipse (g) ^{ἁγίου ὕδατος}, nec ratione meriti & efficaciam, nam regeneramur aspergione Sanguinis, id est, applicatione meriti & effusi Sanguinis Christi, quo mundamur ab omni peccato.

h) Iob. 3. 5.

4. Præter has rationes, geminum etiam juramentum Christi (h) quod vel sexcenties pro nobis allegavimus, cui firmiter & constanter innitimur, satis locuples nobis testis est, quid aquæ ratione ^{ἐνεργείας} tribuamus, & quid Spiritui S. qui artissimo nexu cum aqua copulatus est, videlicet omnem efficaciam à Spiritu S. aquam habere. Qui S. S. etiamsi ut pars ^{ὁδὸν} cælestis, huic Sacramento in Scriptura non disertè attribuitur, ad ejus tamen substantiam per-

rimet,

sinet, nam in ejus nomine administratur (i) & fœdus inter Deum
& baptizatos sancitur, cujus fœderis Spiritus S. est pignus & ar-
rha: pertinet etiam ad ejus fructum, operatur enim sua virtute Spi-
ritus S. (k) regenerationem & salutem in infantibus.

5. Qua in re antiquitatem, quæ eadem nobiscum de aqua
Baptismi docuit, producere possumus. Ambrosius (l.) inquit: ideo le-
gis, quod tres testes in Baptismo unam sunt, Aqua, Sanguis, & Spi-
ritus, quia si unum horum detrahes, non stat Baptismatis Sacramen-
tum. August. in colloquio cum Nicodemo habito Christus aquam in-
tellexit de Baptismo, cum distinctè aqua per se & Spiritus itidem
sic nominatus: Spiritus quidem, ut Autor & Effector Regeneratio-
nis: Aqua vero ut Organon, per quod regenerat Spiritus S. Idem:
Tolle verbum & quid est aqua nisi aqua. Accedat verbum ad ele-
mentum, & fit Sacramentum.

Error Quartus.

Baptismus Papistarum non est verus & salutaris Ba-
ptismus quia ab impiis est factus.

REFUTATIO.

Sacramentorum vim & effectum Anabaptistæ ex ministri illa
præbentis dignitate & sanctitate metiuntur, & Baptimum infamem
& pollutum censent, qui ab infame & polluto ministro admini-
stratur. Quo errore vicissim in proscenium reducunt tam Dona-
tistarum, quàm Pontificiorum hæresin. Illi n. ut videre est apud
August. (a) à Catholicis & Orthodoxis jam baptizatos rebaptiza-
runt, docentes quod Spiritus Sancti gratiam alius dare non possent,
qui ipsi ea carerent. Hi verò Baptismum ritè administrari negant,
nisi ab eis qui bonam habent intentionem; fingentes (b) ad verita-
tem sacramenti necessariam esse intentionem ministri. Hi quomodo
antevertendi, in promptu est.

1. Distinguendo causam principaliter agentem, ab administra-
causa operantis agente: Illa est Christus instituens & salutarem ef-
fectum dans ministerio cooperariorum (c) suorum Ecclesie mini-
strorum, quorum, ut ministri seu inferioris causæ non tam spectetur

i) Mat. 28. 19
Mar. 16. 15.
Eph. 1. 14.

Tit. 3. 5.

l) lib. de his
qui inist myst
c. 4.
Supra Epi.
Canon. 17. 6

Anabap.
Antwerp.

a) lib. 1. cont
Donat. c. 3.
& 3. c. 10.

b) Bellar. l. 1
de Sacram.
in genere c.
27.

c) 1. Cor. 3. 9

d) 1 Cor. 3.7

ministerium, intentio, fides, qualitas, quam principalis causa Christi
magisterium, virtus, veritas. Non n. qui plantat est aliquid, nec
qui rigat, sed qui dat incrementum Deus, inquit Apostolus (d)

2. Probando, verum esse Sacramentum, Baptismum administra-
tum etiam ab hereticis, si secundum institutionem & mandatum
Christi administratur. Hoc modo verum & integrum confert Sacra-
mentum, qui essentialis ejus partes omnes confert. Pontificii hoc
faciunt. E.

e) Exod. 4.
255

3. Demonstrando exemplo, quod Baptismus ab impiis Pontifi-
ciis (sicuti pii illi, scilicet, Anab, eos nominant) rite administratus
verus sit Baptismus. Zipora (e) est tanquam gentilis ab Israelis
religione aliena fuit, nihilominus Circumcisionis Sacramentum re-
cte administravit, ut ex textus circumstantiis satis colligitur, quod
circumcisio ista rata fuerit à Deo habita.

4. Exerabendo negando, & non perferenda, qua sequerentur, si à
ministrorum fidelitate aut probitate ad veritatem substantia Ba-
ptismi argumentari vellemus: nimirum salutis & Baptismi nostri
certitudinem incertam semper futuram, quia aliena conscientia fi-
des, pietas, & status nos latet. Non confidendum in Deo Baptismi
autore, sed in homine Baptismi administratore Nos alienorum crimi-
num ignorantes reos esse. Baptismum alium alio meliorem & perfe-
ctiorem esse. Baptismum etiam à Sanctissimis administratum fore
suspectum, siquidem, & hi in gravissima peccata aliquando prela-
buntur.

f) Lib 4.
distin. 5.
Super Job,
Bapte.

5. Producendo Patrum consensum. Cypria, una, inquit, nobis
fides; unus Dominus, unum Baptisma, quod si ab indigno forte fuerit
consecratum, non audeat justus iterare aut corrigere, quod semel est
factum, quia per quemcumq; fiat idem est. Nec hoc privilegium ma-
riris est datum, sed gratia, & proprie sibi omnipotentia Dei verinet
hunc effectum. August. annotante Lombardo (f) sic inquit. Oportet
esse ministros tanti judicii justos, si autem justi esse non voluerint,
qui sedent in cathedra Moysis, securum moe facit Magister meus Chri-
stus, de quo Spiritus S. dicit: Hic est qui baptizat. Iden.: Baptismus
ealis

talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis per cuius ministerium datur. Idem: Si quis ergo baptizavit ebriosus homicida, adulter, si Christi erat Baptizans, Christus baptizavit. Non timo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia Columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat.

Error Quintus.

Exorcismum & Patrinis reprobant Anabaptistæ. REFUTATIO.

Quemadmodum precedentes ferè errores omnes, quos examinandos produximus, sunt emendicari ab aliis hæreticis: sic etiam quicquid de Exorcismo & Patrinis statuunt Adversarii, à Calvinianis mutuatum habent, & nobis obijciunt, esse Exorcismum nil nisi Papisticam superstitionem, & Patrinis, nil nisi ritum à supersticioso Pontificis decogitatum. Sed respondemus.

Petrus Martyr in Loc. Com. Cl. 4. L. 9. sect. 16.

1. Quod Exorcismum attinet, seu verba illa, quæ adhibentur in Baptismo: Exi male Spiritus, eis usus fuit Christus, quando corporaliter obsessos à demoniis (a) liberavit: Sicuti etiam Apostoli, ex singulari dono divinitus in primitiva ecclesia sibi concessa. Nos vero non eodem modo eis utimur, quasi corporaliter infantes obsessi essent, ut Pontificii volunt, sed ut ex spirituali obsessione liberentur. Quoties n. ex potestate tenebrarum eripiuntur homines, & ut filii Dei in cælum (b) transferantur, toties immundi Spiritus, qui in hominibus & in filiis incredulitatis habitant, eijciuntur. Prasertim autem hoc fit in Baptismo, ubi ex filiis iræ filii gratiæ redduntur.

a) Mar. 5. 8.
Luc. 10. 17.
Act. 16. 18.

b) Coll. 1. 14.
Luc. 11. 26.
Eph. 2. 3.

2. Non autem essentialem partem Baptismi facimus Exorcismum, sed inter Adiaphora numeramus, quo liberè sine peccato nobis uti licet: prasertim cum admoneantur homines hac ceremonia, quanta sit cacodemonis vis & potestas in non regeneratos seu filios iræ, quæ in Baptismo tollitur. Quod beneficium nullo alio modo nisi per verbum & usum Sacramentorum nobis communicatur.

3. Et quamvis sit ceremonia adiaphora, tamen adeò non est de nihilo, quasi non ex sacris defendi possit, sed quæ in verbo Dei funda-

c) *Jacob. 4. 7*
Eph. 4. 2 7
c. 6 11.
Matth. 6. 13.
c. 18. 18.

d) *Luc. 10. 19*

e) *Disp. 17.*
c. 2. Err. I.
f) *Cen. 11. 36*

g) *Mar. 10.*
13. 14
Luc. 1. 59
Deut. 17. 6
Mat. 18. 16
h) *In Orat. 3*
de Bâpt.
Hexam. lib.
cap. 4.
Lib. 1. de pe-
cat. mer. &
rem. c. 34.


fundata. Nos Christiani enim jubemur diabolo resistere, eiq. nos (c) opponere, nullum locum dare, eum depellere & adversus ejus insidias stare. Ergo totis viribus pugnare debemus contra Diabolum. Imò mandatum Christi habemus ut rogemus Deum, ut nos à malo liberet. Tum etiam ministris Ecclesie data est hæc potestas, ut quicquid ligaverint & solverint in terra, ligatum & solutum sit in celo: Jam vero in terra ligant Diabolum, dum exire cum jubent ab infantulo qui baptizari debet. Et, eorum Christo in celo id ratum habebitur. Christus etiam in specie suis Apostolis dedit potestatem super Scorpiones (d) & omnem virtutem inimici, toti quoq. ecclesie, ut in suo nomine demonia eycerent: quare etiam ministris ecclesie non data sit hæc potestas, non quidem hoc tempore externa miracula edendi, ut in primitiva ecclesia, sed maxime beneficia interna & spiritualia, nimirum gratiam Dei, juxta promissionem Christi conferendi. Hinc firmiter concludimus, injuste non facere ministros verbi, quod ad deprimendam ac prorsus tollendam potestatem diaboli, Exorcismi verba adhibeant. Plures rationes pro Exorcismo vide in Calvinismo (e).


4. Ἀναδόχῃς, testes, fidejussores, paternos, compadres, seu maternos, com-matres, quod spectat, recepti illi sunt & usitati tempore Basilij M. & Augustini. Eorum originem Ostander (f) ad Hygium Episcopum Romanorum refert. Ad quod officium prestandum uti possumus utriusq. sexus hominibus, maribus & feminis, & utriusq. ordinis, ecclesiasticis & secularibus, piis & honestis, modo sint idonei, ut veritati testimonium dare, suas pro infantulo apud Deum preces interponere, proq. eo spondere & respondere, & postea eos (si contigerit ut morte prematura eis parentes surriperentur) pie educare possint, & pueri ab illis, rei certitudinem de Baptismo legitime accepto scire possint.


5. Et ut hujusmodi testes adhibeantur, habemus, 1. mandatum Christi, cultu n. ut parvuli (g) ad se adferantur, 2. exemplum, quia ad circumcisonem allati. 3. Testimonium, quia in ore duorum aut trium consistit omne verum. 4. Deniq. necessum est, ut adsint, qui ulnis adferant, cum ipsi venire non possint, & qui testimonium perhibeant, cum pro etate intelligere non possint, quid in Baptismo actum sit.

6. Retinemus igitur Exorcismi & Patrinorum usum cum in Scriptura testimonium habeat, & à primitiva ecclesia Episcopis ad nos deducenit, ut ex Gregorio (h) accepimus, qui vixit anno Christi 370. Qui inquit: exiit à te impurus ille Spiritus Baptismate expulsus. Ambr. qui vixit anno Christi 380. Derelinquit & deserit, ait, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem, principem istius mundi, dicens, abrenuncio tibi diabolo & angelis tuis & operibus tuis, & imperiis tuis. August. Quid in parvulo agit Exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Quomodo diciturus erit, cum renunciare diabolo, cuius in eo nihil esset.

Atq. ita firmum, fixum & immobile ad hoc usq. tempus illud Christi mandatum fiat: Ite per Vniversas terras, Docete omnes gentes, baptisantes eos.








presenti hoc errore pronunciet, qui & olim sua
auctores partim propagatores in Ecclesia
Originem Alexandrina Ecclesia antisitem
Palestinâs; nunc iterum resuscitatur à nonni
rum in proscenium educitur, palliatur, com
impj hujus dogmatis absurditas eò magis innot
literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scriptura dicta ea, qua
diabolorum & hominum damnatorum aterna
desituras esse perspicue confirmant(a): qua ve
morientem asserunt: Iram Dei mansuram sup
esse ignem inexstingvibilem, interitum aterna
ternum, iudicium sine misericordia, pronunciat
extremo die abiecturum maledictos in supplic
Quod si itaq; homines damnati usq; in aterna
lumen & Diaboli in secula seculorum crucia
tandem erunt salvandi, aut quis finis penis ipj
Nôq; est, ut quis cavilletur, vocabulum aterna
lutam sine fine perpetuitatem, sed periodicam
temporis limitatam diuturnitatem denotare. I
quaestioni accommodari non potest: siquidem
quam convincietur, quod pœna damnatorum
ra sint, sed potius constat, nullam mutatione
summi iudicis, quo ad statum rerum, futuram
aeternum, simpliciter in propria significatione
quid assumitur, pro figmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum h
tant. 1. Quia damnatorum peccata mortali
temporalia violant & contempnunt aeternum
videlicet Deum, & aeternam vitam; iustissime
aeternis pœnis puniuntur. Cum enim duplex sit
cundum intentionem acerbatis, & secundum



2) Esa. 66. 24
Ioh. 3. 36.
Matt. 3. 12.
2. Thef. 1. 9.
Hebræ. 6. 2.
Iacob. 2. 23.
Matt. 25. 41.
Pfal. 49.
Apoc. 20. 10